



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

De opere quinti diei, piscium videlicet, auiúmque productione. disp. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

DISPUTATIO XVII

De opere quinti diei, piscium videlicet, auium- que productione.

PRODUCTIS plantis tertia die, ad animalium su- stentationem, & luminaribus die quarta, à qui- bus animalium vita plusquam plantarum pender, quinta die incepit Deus producere animalia. Porro animalium ea, quæ terrestria sunt, nobilitate antecedit cætera, non solum quia de eorum nume- ro est homo, sed etiam quia pluribus organis, quam cætera, sunt instructa; & quia vim habent gene- randi intra se sibi similia, quod cæteris omnibus, aut ferè omnibus denegatum est. Cætera namque solum generant intra se ova, ex quibus postea ge- nerantur animalia suis parentibus similia in quo aues, & pisces plantis quodammodò sunt similes: plantæ enim in se ipsis solum semina producunt, ex quibus postea alia plantæ generantur. Secun- dum nobilitatis locum habent volatilia: eò quòd plura organa ac magis distincta habeant quam pi- fces. Progrediens ergo Deus ab imperfectioribus ad perfectiora, quinta die producit pisces & vola- tilia, diemque sextum reseruat animalibus terre- stribus. Primo verò loco producit quinta die pi- fces tamquam natura imperfectiores, & secundo lo- co volatilia. Coniunxit verò productionem auium cum piscium productione, tum quòd, iuxta pro- babiliorè sententiam, ex eadem materia, nempe ex aqua, vtrumque genus producit. Tum etiam quoniam piscibus ornauit, ac perfecit aquas, vola- tilibus verò aërem: hæc autem duo elementa ma- iorem habent inter se, quam cum terra affinitatem: sunt enim perspicua & humida, terra verò opaca & sicca.

Animalia terrestria ex callione reli- gunt.

Volatilia pi- scibus nobi- litate præ- stant.

D. August. sententia.

Caietan.

Resutat.

Vt Augustinus 5. super Genesim ad litteram ca- pite quarto, & aliis locis supra citatis insinuat, plan- tas tertia die non fuisse productas actu, sed potentia: sic quoque ibidem capite 5. innuit pisces & aues non fuisse productas actu quinta die, sed solum po- tentia, quatenus Deus ea die contulit aquis vim ad illa animantium genera producenda: similique modo innuit animalia terrestria non fuisse pro- ducta actu sexta die, sed terram tunc vim ad illa producenda accepisse. Quemadmodum etiam Caietanus dixit, terram efficienter concurrisse ad pri- mam productionem plantarum, ita vult aquas & terram quinta & sexta die ad productionem pi- scium, volatilium, & animalium terrestrium, effe- ctium concursum habuisse. Dicendum est tamen cum communi Patrum, aliorumque Doctorum sententia, hæc omnia animalia actu fuisse produ- cta, atque secundum esse quod naturaliter sibi vendicant, imò quoad integram magnitudinem suis naturis proportionatam, aquasque & terram solum concurrisse passivè ministrando materiam, ex qua solus Deus efficienter ea produxit. Rationes eadem sunt cum illis, quas de simili plantarum pro- ductione disputatione 12. reddidimus.

DISPUTATIO XVIII.

Vtrum volucres ex aquis sint productæ.

CAIETANUS, Catharinus, & quidam alij censent, volucres non ex aquis, sed ex terra fuisse pro- ductas. Id probant, tum quia id videtur sonare apertè Scriptura sacra Genes. 2. illis verbis, For- matis igitur Dominus Deus de humo terre cunctis ani- malibus. Molina in D. Thomam.

Volucres à terra produ- ctas ut pro- bent Caiet. & Cathari- nus. Primò.

A mantibus terra, & uniuersis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Tum etiam quoniam licet editio vulgata Genes. 1. habeat: Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile anima viuens, & volatile super terram sub firmamento cæli: quæ verba sonare videntur, volucres etiam productas esse ex aqua: contextus tamen Hebræus in hunc mo- dum habet, ושרצו חיים שרץ נפשחית ועוף יפשהו על דארץ jisehyer su hammajim siberets ne- pshchbhaiuh veboph sebhophel hal baaretz. i. Producant aqua reptile anima viuens, & volatile volat super terram: quæ verba solum exprimunt pisces ex aqua fuisse productos: materiam autem, de qua volu- cres fuerint productæ non exprimunt: cum tamen Genes. 2. apertè exprimatur fuisse terram. Sententia hæc probabilitate non caret, & iuxta eam in editio- ne vulgata dum dicitur, & volatile, supplendum est, volat, ex textu Hebræo.

Secundò

Nobis verò contraria, quæ communis est, potius est amplectenda, videlicet non solum pisces, sed etiam volucres ex aquis productas fuisse. Eam senten- tiam tuentur Augustinus 9. super Genesim ad litem- ram capite 1. Basilii, Ambrosii, Rupertus, Eu- cherius, & alij in Genesim, Damascenus secundo libro fidei Orthodoxæ capite nono, Hieronymus in epistola ad Oceanum, Magister, & cum eo Schola- stici in secunda distinctione 15. & plerique alij. Eadem habetur in hymno Ecclesiæ in vesperis feriæ 5. illis verbis:

Fuisse tamè ex aqua pro- ductas pro- babilius vi- detur.

Magne Deus potentia,
Qui ex aquis ortum genus.
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aëra,
Demersa lymphis imprimens,
Subiecta calis irrigans,
Vt stirpe vna prodita,
Diuersa rapiant loca.

Fuit verò hymnus ille ab Ambrosio compositus. Eadem est non solum editionis vulgatae Genes. 1. sed etiam Septuaginta interpretum, qui in hunc mo- dum eundem locum transtulerunt. Producant aquæ reptilia animarum viuentium, & volatilia volantia su- per terram. Est etiam Paraphrasis Chaldaica, qui eundem locum sic transtulit. Producant aquæ re- ptile anima viuens, & auium, quæ volat super terram. Cum ergo tot grauissimi interpretes eum sensum in illis verbis Hebræis agnouerint ac expreserint, signum sanè est, eum esse legitimum illorum verbo- rum sensum.

Accedit, in auium genere multas esse species, quæ in aquis degunt. Itemque aues cum piscibus in multis conuenire, quæ causa fuit ut quinta die vnà cum piscibus producerentur. Præterea cum aues in aëre degant, aëremque exornent, neque aër ob sui raritatem & leuitatem materia apta esset, ex qua aues generarentur, conuenienter ex aqua aëri viciniore & similitiori quam ex terra fuisse productas.

Ad testimonium ex Genes. 1. cui potissimum con- traria opinio nititur, prætermisissis aliis responfioni- bus, dicendum est, supplendum esse verbum, forma- tis, dum fit transitus ad volatilia cæli, ita ut sit sen- sus: Formatis igitur Dominus Deus de humo terre cun- ctis animantibus terra, & formatis uniuersis volatili- bus cæli, adduxit ea ad Adam: quo pacto non exprimitur materia ex qua volatilia fuerant producta, sed intelligenda relinquitur ex iis, quæ capite 1. dicta erant. Moyses autem breuitati sta- dens, verbum illud non repetiit, sed subintelligendum reliquit.

M m m ; DIS